DE
SCLEROSI CEREBRI PARTIALI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
VENIA ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT
ET DIE XVII. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCLXII
HORA XII
UNA CUM THESIBUS PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
GUSTAVUS ADOLPHUS WINTZER
RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
W. GEISS, DR. MED.
R. GARLIPP, CAND. MED.

HALIS SAXONUM,
TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIO-SCHWETSCHKIANIS.

Nulla est alia pro certo noscendi via nisi quam plurimas et morborum et sectionum historias tam aliorum quam proprias collectas habere et inter se comparare.

Morgagni.

PATRI OPTIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

FILIUS.

PRAEFATIO.

Quum inter omnes constet medicinam non alia via quam ratione ac potissimum observatione subtili posse augeri, commotus sum exempli gratia sclerosin cerebri partialem describere non quod singuli ejus generis casus in parvo observationum numero digni videantur qui ad cognitionem omnium veniant, sed quod prae omnibus quae litteris tradita sunt exemplis et quae mihi licuit adire, id de quo verba faciam unum simul cum myclomalacia partiali conjunctum observatum est. Itaque cum jam Valentinerus Vratislaviensis, vir doctissimus, magna cum diligentia, quae de hoc morbo litteris mandata sunt, maximam partem undique congestam in unum corpus composuerit, mihi ne negligentiae vertatur quaeso, quod, quae apud alios inveniuntur atque in illo potissimum libro, breviter comprehendo, quo celerius perveniam ad ipsum hoc quod propositum est, ut casum qui anno h. s. sexagesimo altero Wirceburgi cognitus est enarrarem.

Definitio, historia, synonyma.

Aucta cerebri et medullae spinalis densitas, quam vocant sclerosin cerebri, non magis est morbus per se quam mollitio sive malacia cerebri vel sanguinis exspuitio vel alia malae valetudinis signa, sed potest in magno differentium morborum numero oriri praesertim cum corpori multum humoris ademptum sit. Quae cum ita sint illius symptomatis cum in aliis aegrotationis generibus tum in typho, cholera saepissime jam mentio facta est. Item invenitur semper cum inflammatione cerebri sive encephalitide sive cerebri abscessibus conjuncta sclerosis, ubi subest exsudatum serosum plus minusve fibrinae copiosum rigefactum atque vasis cerebri obliteratis exsiccatum.

Ab his vero omnibus generibus diversi atque insignes ii casus sunt, in quibus sclerosis cerebri aut partialis, aut universalis non symptoma morbi, sed ipse morbus est. Ejus autem observationes pertinent omnes ad hoc saeculum atque Cruveilhier potissimum prae ceteris viris doctissimis de hac re optime meritus est, non solum quod idiopathicam, ut ita dicam, cerebri sclerosin primus observavit, sed etiam quod in libro de anatomia pathologica multa hujus generis exempla litteris prodidit. Qui quam vis dubitaret, exposita aetiologia, evolutione, symptomatologia, decursu, certam de illa permutatione sententiam probare, tamen iis quos observavit multos casibus nomen „canae cerebri degenerationis“ imposuit. Sic re dubia, sed singulari morbi decursu commoti Melicher h. s. anno XLV in Scriptt. Hebdomadd. Austriacis, Kniessling annalibus medicis Nassoviensibus nova duo exempla litteris mandaverunt. Haud multis annis post cum etiam Pool hollandica

lingua dissertationem majorem descripsisset atque Dumville in anglicis commentariis observationum numerum auxisset, nuper Frerichs vir illustrissimus ipse cum duos pueros hoc morbo moriri vidisset id potissimum exposuit, quibus rationibus conjectura illa de inflammatione debilitetur. Anno millesimo octingentesimo quinquasimo altero, postquam brevi ante Duplay et Van Camp novas historias morbi adjunxerunt, Landgraf vir Bayreuthii arte medendi clarissimus cum duas ex eadem familia puellas sclerosi cerebri totali periisse cognovisset, decursus et sectiones attulit quippe eorum morbos ad nullum cognitorum morborum genus pertinere arbitratus quod a bibliothecis exclusus de prioribus nil compererat. Deinde Hirsch junior per litteras Pragenses casum quendam non solum perscripsit sed multa etiam insuper verba fecit, quid sibi de aetiologia, ceteris rebus videretur.

His igitur omnibus superveniens Valentiner ex iis, quae nullo certo ordine disposita in litteris disjecta erant, tredecim exempla in libello peculiari collegit atque ipse duobus casibus maxima data opera observatis, quid statuendum sit scite ab omnibus partibus exposuit. Quae cum ita sint superfluum mihi videtur esse, quae exempla hujus generis perscripta inveniuntur accuratius referre. Itaque cum etiam post illud libellum peculiare Valentineri nonnulla de hac re memoriae prodita sunt, mihi proposui, omnia quae comperi pro diversis quae ordine systematico postulantur rationibus in indicem componere, deinde colligere qualis ille sit morbus, et postremo exemplum hoc anno Wirceburgi observatum addere.

Numerus.	Observatoris Nomen.	Sexus et aetas aegrorum.	Initia morbi.	Symptomata et decursus morbi.	Causa morbi.	Perennitas et exitum morbi.	Repertum anatomicum.
I.	Cruveilhier.	Puer annum agens.	Convulsiones spatiis temporis contra regulam interjectis repetitae.	Remissiones morbi; generalis omnium motuum imbecillitas; summa difficultas deglutitionis; nervi hypoglossi, glossopharyngei, vagi morbo affecti; habitus maxima obesitate insignis; judicium pro infantia praematura.	Contusiones capitis vehementiores.	Quum Symptomata quatuor paene annos profecissent puer denique suffocatione mortuus est.	Olivae duritiem cartilaginis habebant neque colore nec volumine mutatae. Altero crure ad cerebellum excepto cerebrum cerebellum medullaeque oblongata, spinalis prorsus intacta.
II.	Cruveilhier.	Virgo unum et triginta annos nata.	Infirmitas primo in sinistro, tum in dextro pede fieri incipiebat.	Brevi tempore superiores etiam extremitates imbecillitate affectae; tremor membrorum saepe exstitit: tum inferiores extremitates torpentes contractae. Insignis animi irritabilitas, fletus risusque fortuiti; locutio paene impedita cum motibus sine voluntate conjuncta observabatur.	?	Septem annis hoc modo peractis aegrota subito collapsa suffocatione vita decessit.	In superiore parte pulmonum inveteratis tuberculis impleta nova pneumonia lobularis inventa. In cerebro alba substantia late indurata, corpora callosum, striata, thalami optici, basis cerebri, crura cerebelli etiam valde mutata itemque medulla oblongata anterior in recta parte potissimum. In posteriore medulla oblongata singulae tantum partes inturatae sunt. Radices nervorum glossopharyngeorum hypoglossorum, vagorum quasi atrophicae reperiuntur.
III.	Cruveilhier.	Uxor triginta annos nata.	Rheumatismo omnium artuum acuti novem per menses lecto affixa est. Post sex annos pedibus debilitari coepit.	Primum formicatio in pedibus surditasque sensae sunt, tum etiam in humeris, in quibus omnibus membris mox usque ad torporem progressum est malum.	?	Si rheumatismus artuum acutus dispositionem constituit, morbus octavo anno morte exstinctus est.	Restes medullae spinalis et laterales et posteriores in compluribus regionibus cinerea atrophica correptae; pons Varoli paene totus induratus alba substantia ejusdem perdita.

Numerus.	Observatoris Nomen.	Sexus et aetas aegroti.	Initia morbi.	Symtomata et decursus morbi.	Causa morbi.	Perennitas et exitus morbi.	Repertum anatomicum.
IV.	Cruveilhier	Puella decem et septem annorum.	Sinistri et mox etiam dextri pedis debilitas.	Haud multo post etiam humeri inertes, locutio difficilis convulsiones quasi ballismi participes, os distortum paullatim apparent.	?	Septem et decem annis praeteritis, septem per annos lecto affixa aegrota ingenti decubitu consumpta est.	Cortex cerebri helvino colore macerata: ceterum cerebrum intactum. Medulla spinalis in bessem tabuit, mediae restes posteriores totae induratae callore ravo.
V.	Cruveilhier.	Uxor quadraginta annorum.	Profluvio genitali intermisso surditate inferiorum extremitatum laborare coepit.	Surditas torporque a sinistro pede in membra omnia pervadunt: sensibilitas obtusa, motus infirmiores; faeces urinaque fortuito secernuntur. Sensorium omnino incolume est.	Humidum domicilium fortasse causa morbi fuit.	Duobus annis peractis jam mors pericarditide adducta est.	Partes arachnoidae visceralis et parietalis multiplicibus adhaesionibus conjunctae; in posteriore medulla spinali callum fibrinosum jacet, posteriores restes multum tabuere.
VI.	Cruveilhier.	Uxor quinquaginta annos nata.	Surditas in pedibus prima animadvertitur.	Aegra identidem subito in solum cadebat, surditas primum motu deminuta postea constans est. Sic in solum prostrata fractura cruris nullos dolores sensit, sed anaesthesia dolorosa vexata est. Brevi post etiam humeri claudi fiunt et facies et collum sola naturalem sensibitatem habent. Sensorio plane incolumi aegrota subito collapsu mortua est.	?	Duobus annis post prima morbi indicia exitus mirabili modo effectus est.	Pulmones et tractus intestinalis tuberculis milliaribus disseminatis impleti. Medullae spinalis restes posteriores praesertim in regione lumbali in massam ravo colore insignem haud pellucidam induratae sunt; degeneratio usque ad ventriculum quartum pertinet.
VII.	Cruveilhier.	Malum in mu-	In inferioribus	Praesertim sinister pes val-	?	Quinquaginta	Musculi sinistri pedis omnes

Numerus.	Observatoris Nomen.	Sexas et aetas aegroti.	Initia morbi.	Symptomata et decursus morbi.	Causa morbi.	Perennitas et exitus morbi.	Repertum anatomicum.
		liebre a teneris unguiculis observatum est.	extremitatibus torpor.	de emaciatus neque plane evolutus.	?	quatuor annos nata carcinomate uteri consumpta est.	et dextri flexores destructi sunt. Extrema medullae spinalis trium digitorum ambitu usque ad caudam equinam indurata cum medii tum potissimum posteriores restes. Eodem modo in sinistra parte medulla oblongata, oliva, corpora quadrigemina, thalamus opticus, inferior pars corporis callosi commutata sunt.
VIII.	Melicher.	Virgo duo detriginta annorum.	Vehementissimi dolores in omnibus artubus cum spasmis clonicis conjuncti sentiuntur.	Podagrica duos annos habita, a compluribus medicis frustra curata; cum dolores balneis sulfuratis deminuti sint, pedes primi, tum etiam humeri torpore affecti dolores in scrobiculo cordis vehementiores, angustiae pectoris, memoria debilis, vox obtusa, sermo tardus, sphincteres ani et vesicae debilitati, ingens et in humeris et in femoribus decubitus sensim et paullatim facta sunt.	Perfrictio.	Quatuor annis per actis formidoloso decubitu vita exstincta est.	Tunicae cerebri chronica inflammatione valde mutatae; interior cerebri medulla, thalami nervorum opticorum, corpus callosum indurata, medullae et oblongata et spinalis eodem modo in massam cineream, haud pellucidam condensatae.
IX.	Kniessling.	Puella decem annorum.	Capitis dolores, vertigo oculorum.	Accedunt tribus hebdomadibus post strabismus oculi sinistri, gradus instabilis, dextri pedis claudítas, vox	Puella ex alto in caput praecipitata est.	Post sex menses bronchitide quae vulgo coepit ingrue-	Nervus opticus sinister usque ad chiasma induratus, crassior, nec colore nec textura mutatus. Pontis Varoli facies

Numerus.	Observatoris Nomen.	Sexus et aetas aegroti.	Initia morbi.	Symptomata et decursus morbi.	Causa morbi.	Perennitas et exitus morbi.	Repertum anatomicum.
				tardior, sensibilitas debilitasque motuum amplificatae; tum albuginea oculi sinistri sanguine abundat, oculus lacrimat, sinistra faciei pars relaxatur, lingua in sinistrum vertitur, extremitates dextrae non omnino torpent, appetitus deminutus, salivatio facta, pulsus arteriorum tenuior et celerior, habitus obescitate florens. Animus usque ad vitam perditam incolumis. Quum mors adveniret, strabismus sublatus est.		re correpta vita defuncta est.	nullam permutationem praebuit: digitis tentantibus in sinisrta parte in ea regione in qua sinistrum ad cerebrum crus animadvertitur, locus magnitudine avellanae induratus reperitur qui paullatim in incolumem massam transgressus, duritiem cartilaginis habet. Medulla oblongata quoque in superiore parte densior est.
X.	Dumville.	Vir duodeviginti annorum.	Vox raucior fit.	Tribus mensibus post dolores in genibus cubitisque sensit, tum ter quaterve subito mancus et omnibus membris captus; animo intacto difficillima deglutitione locutioneque affectus dysphagia interiit.	?	Post quatuordecim hebdomades fame inediaque periit.	Pontis Varŏli et medullae oblongatae induratio.
XI.	Pool.	Puer nonnullos annos agens.	Doloribus capitis insomnique subito anno quinto et tricessimo affectus est.	Haud brevi post membra aegri rigida facta sunt: tum sinistro pede ac postea et humero sinistro claudicat; accedunt etiam oculorum vertigo, amblyopia oculi si-	Contusio capitis vehementior.	Symptomatibus gravissimis mors advenit.	Invenitur in haemisphaerio cerebri dextro pugillare fragmentum medullae induratae, quod etiam in sinistram paululum pertinet. Haec massa cum pigmento tum vasibus

Numerus.	Observatoris Nomen.	Sexus et aetas aegroti.	Initia morbi.	Symptomata et decursus morbi.	Causa morbi.	Perennitas et exitus morbi.	Repertum anatomicum.
				nistri; tum altera parte etiam correpta memoriaque subito perdita vita decessit.			abundans, fibrinae similis multis nervorum fragmentis constitit.
XII. XIII.	Frerichs.	Pueri annum agentes.	Convulsiones singulorum membrorum; risus sardonicus.	Convulsiones mox etiam cervices collumque corripiunt alteroque anno febriculoso morbo superato spasmus universo corpore apparet. In quibus rebus ingenium primo paululum explicatum celeriter hebescit, ita ut sermonis usum nunquam nacti sint. Habitus obesitate insignes.	Nervi dentitione excitati.	Quinque annis peractis convulsionibus vehementer repetitis vitae finitae sunt.	Convexa recti haemisphaerii cerebri pars latius indurata praeter gyros acute a sana substantia distincta est. Velamenta cerebri nec densitate nec colore mutata. Frons incisurae penitus in intimum encephalum ductae et in tectum ventriculi lateralis et corpus callosum protractae cortice cerebri perdita albissimam substantiam praebet in qua nec nervorum textura nec fibrilae inveniuntur. Haec substantia acido acetico pellucida facta est.
XIV.	Duplay.	Vir primum et tricesimum annum agens.	Surditas debilitasque pedum.	Post duos annos torpor pedum, post tres difficilis locutio; sphincter vesicae debilitatus, venter suppressus; tum humeris infirmus, decubitu et pleuritide animo semper incoluni periit.	Intemperantia libidinum causa morbi nominatur.	Decem annis post initia morbi decubitui, pericarditidi, pleuritidi succubuit.	Bessis medullae albae cerebri circa ventriculos situs, thalami optici, corpora striata magis indurata sunt quam protuberantia cerebri; medulla spinalis tenuior vieta facta est.
XV.	Van Camp.	Puer tredecim annorum.	Animi depressionem macies	Tum maxima nervorum irritabilitas; dolores in palmis plantisque vehementissimis,	Terror.	Suffocatione vita amissa est.	Protuberantia cerebri sola indurata reperta est.

Numerus.	Observatoris Nomen.	Sexus et aetas aegroti.	Initia morbi.	Symptomata et decursus morbi.	Causa morbi.	Perennitas et exitus morbi.	Repertum anatomicum.
			corporis sequitur.	qui premendo augentur; dolores capitis; pupillae valde dilatatae, formicatio membrorum, sonitus et tarditus aurium. Deliriis, catalepsia, convulsionibus adjunctis, symptomatibus identidem fluctuantibus, tenuissimo atque celeriore pulsu, respiratione minore anhelante anima deleta est.			
XVI. XVII.	Landgraf.	Duae sorores quatuor hepdomades agentes.	Magna somni necessitas, oculi semper moti; spasmus convulsionibus variat; venter suppressus; urina foetida, cutis candens, desquamata, vulnerabilior.	Quarto mense cum corpus tum extremitates extenuant; pulsus tenuis, respiratio intermissa, oculi auresque obtusi, appetitus non in lucem prolatus; mammis autem datis cupide atque libenter lactent. Mox accedit conjunctivitis, pupillae dilatatae, somnus clamando pertubatur.	?	Vitae sensim et paullatim exstinctae sunt altera sexto, altera septimo mense.	Gyri cerebri paululum declives, cortex tenuior, haemisphaeria duriora, tota medulla interior densata, corio similis. Cerebellum in altero infante candidior, in altero minor. Cerebri ipsa substantia perdita est et raro fiibrillae nervorum inveniuntur.
XVIII.	Hirsch jun.	Puer quatuordecim annorum.	Aeger doloribus occipitalibus atque oculorum vertigine quae et in se demittendo et in assurgen-	Quinque et viginti annis postea ophtalmodynia intermittente curata minima perfrictione conjunctivitis identidem apparuit. Quatuor annis post uxor majorem ignaviam observavit: tum facies	Contusio capitis vehementissima.	Nisi quadraginta annis, tamen decennio peracto symptomatibus auctis subito mors subvenit.	Ossa capitis crassiora, solidiora, impressiones digitatae hyperostosi aucta, interna ossis superficies levis. Dura mater densior, falx cerebri ossificata. Cranio amoto cerebum non turgescit; pia

Numerus.	Observatoris Nomen.	Sexus et aetas aegroti.	Initia morbi.	Symptomata et decursus morbi.	Causa morbi.	Perennitas et exitus morbi.	Repertum anatomicum.
			do et si quis fortuito cervices et dorsum digito pulsat, est vexatus.	colore laterum insignis, sinistra membra saepe convulsionibus conquassata eorumque calore et sensibilitas deminuta, sonitus aurium, memoria labans, lacrimare et ridere sine voluntate, leviter dormire, appetitus alacer, venter suppressus, habitus obesitate eximius; pulsus tardior, facilis compressu: intemperantia libidinis, animi infirmitus auctae, musculi linguae debilitati, anaesthesia dolorosa, fames inexplebilis, stupri cupiditas, sphincteres ani et vesicae torpentes, inspiratio difficillima: mobilitas in sinistra parte reversa: subito mors accedit.			mater et arachnoidea sanguine abundantes conspissatae. Quibus detractis gyri cerebri valde prominent, sulci depressi. Substantia cerebri interior tenacitate insignis, canescit, sanguine caret; cortice paene perdita substantia medullaris undique paene a corio usque ad cartilaginis densitatem se praebet. Provincia indurata ventriculos laterales, corpus callosum, crura ad cerebrum et omnino haemisphaeria cerebri complectuntur; membrana arteriae basilaris rigida; pons Varoli item affectus; cerebellum, medulla oblongata intacta; medulla spinalis spissata, alba, atrophia laborans.
XIX.	Schnepf.	Infans stupore et epilepsia laborans.	?	?	?	?	Medulla cerebri densior, multigyri minores, callositate insignes maxime in anterioribus laciniis: cinereae substantiae major pars perturbata massa, parvis granulationibus deminuto nucleorum numero, composita est.

Numerus.	Observatoris Nomen.	Sexus et aetas aegroti.	Initia morbi.	Symptomata et dercursus morbi.	Causa morbi.	Perennitas et exitus morbi.	Repertum anatomicum.
XX.	Valentiner.	Juvenis primus et vicesimum annum agens.	Subito dolores excentrici ac convulsiones dubia causa effecti animo fanaticis religiosis excitato: in sinistra parte major et mobilitatis et sensibilitatis consecutus est defectus.	Mox malum valde procedit: omnes motus instabiles, inertes, incerti praesertim in colloquio; capitis dolores identidem sine typo revertentes, ischuria spastica, venter suppressus, muscolorum spasmus tetanusque oculorum; tum dyssenteria correptus aegrotus subito in hora sexagesima centum et sexaginta pulsus arteriorum et triginta sex respirationes repetitae pulmonum; facies rubescit: tum remissio notarum: vires etiam reconvalescentes: repente vero collapsu spirituque deficiente vita decessit.	?	Tribus annis peractis vita aegroti gravissimo morbo valde debilitati suffocatione suppressa est.	Cranio aperto tantum in basis cerebri majores minoresve maculae trium quatuorve digitorum ambitu rubrae, subcanescentes animadvertuntur: hae paululum in inferiore medulla depressae in corporibus mammillaribus, incruribus ad pontem evadentibus, mediae parti quam periphericae; propiores atque in recto latere plures. Incisurae in mediana regione factae complures offendunt ostenduntque eas nodulis cinereis respondere, qui partim cuneatae partim etiam latiores in altitudem procedunt et in diversas partes stolones dentatos mittunt. Noduli indurati in medulla non speciem contra regulam offerentes, sed majore tenacitate sanguinisque inopia insignes; superior cortex paene perdita; microscopio cognoscitur induratas partes tenaciores tenuibus fibrillis quasi compositas nusquam nervorum elementa continere,

Numerus.	Obervatoris Nomen.	Sexus et aetas aegroti.	Initia morbi.	Symptomata et decursus morbi.	Causa morbi.	Perennitas et exitus morbi.	Repertum anatomicum.
							sed partim textura carere partim e nucleis nucleolisque constare. Corpora amylacea non inveniuntur. — Membranae ventriculi valde emollita sunt.
XXI.	Valentiner.	Virgo vinginti annorum.	Dextri pedis debilitas.	Mox etiam altero pede infirmitate affecto motus manuum intremiscunt: menstruis tandem apparentibus remissio observatur, quam deterior morbi status consequitur: conspiciuntur in toto corpore convulsiones, membrorum surditas, sensibilitas deminuta; vox incerta; sensorium hebescens; habitus obesitate insignis: tum perfecta paralysis extremitatum, animi torpor; sphincteres ani et vesicae debilitate; terribili denique decubitu in corpore inferiore, appetitu absente, doloribus praeter vertebrarum columnam accedentibus, pulsu cordis tenui frequentato, musculis pharyngis postremo torpentibus aegrota morti succumbit.	Puella sudore erupente cum rivo vado transiret frigus recepit.	Duobus fere annis post morbus, vita amissa inedia, finitus est.	Cranio aperto pia mater sanguine abundat. Substantia cerebri omnino densior, sanguine carens; ventriculi laterales maximam duritiem praebentes itemque pons Varoli: in iisdem et in summa et in profunda parte noduli soliditate egregii inveniuntur, iisdem aeque intima massa cerebri elementis compositi his: subtilibus capillamentis, elementis nulla certa forma conspicuis, massa lumen valde declinante: medulla ipsa perdita; medulla spinalis compluribus locis etiam indurationis particeps. — Musculi cordis, omenta, hepar pingue abundant.

Numerus.	Observatoris Nomen.	Sexus et aetas aegroti.	Initia morbi.	Symptomata et decursus morbi.	Causa morbi.	Perennitas et exitus morbi.	Repertum anatomicum.
XXII.	Isambert et Robin.	Infans duorum annorum.	?	Ingenium hebes.	?	?	In sacco arachnoidali magna humoris serosi multitudo; cortex cerebri mitigata. Omnes quae isthmum cerebri componunt partes, pons, crura valde indurata; posteriores laciniae non explicatae: latera ventriculorum, striata corpora, thalami optici indurationis participes. Robin microscopio adhibito invenit massam, plurimis nervorum tubis perditis, tenuibus lineis distinctam suppositam, substantia quam vocant „Bindegewebe", interposita. Cinerea medulla eadem elementa, sed plura vasa continet.
XXIII.	Leubuscher.	Vir quadraginta annos natus.	?	— Postremo insania laborans mente captus identidem apoplexi arreptus est. Vox et lingua haesitant.	?	?	

Repertum exempli XXIII. anatomicum.

Calvaria spissata, gravior, diploë sanguine abundans, ossa capitis altera parte crassiora, altera tenuiora pacchionicis granulationibus quasi carie infecta; posteriores cranii partes asperae quasi arrósae. In externa durae matris superficie antiqua et nova secreta fibrinosa. Arachnoidea et pia mater seroso liquore turbatae. In cerebro summo majores minoresve cicatrices callosae usque ad magnitudinem avellanae undique dispersae et rubre mitigatae regiones inveniuntur. Ad dextram corporis alterius striati sub loco emollito tenax substantia, tergillae duritie late extensa reperitur; supra centrum Vieussenii multae maculae mitigatae butyri consistentia apparent: microscopio adhibito in dura massa nullus fere nervorum tubulus animadvertitur, sed videtur virgis concinne striata esse, parvis nucleis paucis interpositis. De hac re dicit denique auctor haec: Bei genauerer Präparation sieht man, dass die vielfach mit einander verschlungenen Bindegewebsfibrillen von grossen unregelmässig gestalteten ein- oder mehrkernigen Zellen ausgehen. Man findet Zellen mit sieben bis zwanzig Ausläufern, bald dicker, bald dünner, die sich wieder theilen und verästeln. — Die Sclerosirung ist also durch Bindegewebsentwicklung bedingt. —

Natura scleroseos cerebri.

Jam historia scleroseos cerebri praemissa satis ostenditur summa obscuritas qua hic morbus diu involutus jacuit. Itaque cum plerique satis haberent insignes hujus morbi casus afferre, nonnulli tantum de vi et natura accuratius sententias suas exposuerunt. Ex his Cruveilhier potissimum multis exemplis enarratis quamquam in magna generum specierumque copia quam ipse novit cum ad decursum tum ad repertum anatomicum respiciens, non ausus est, quae ipsi videretur propria ejus mali vis ac natura esse, eloqui, tamen ut ab aliis morbis disjungeret nomen „canae degenerationis“ substantiae cerebri interioris imposuit. Quod nomen quamvis illum processum prae aliis luculenter significet atque quod anatomicus invenit satis exponat, tamen alii aptiore vocabulo mutare studuerunt. Sic Andral tres gradus scleroseos cerebri dixstinxit. In primo gradu cerebrum illam densitatem habet, quam salvum cerebrum acido nitrico diluto perfusum praebet. In altero gradu cerebrum duritiem cerae vel casei Alpini, in tertio gradu firmitatem ac tenacitatem cartilaginis fibratae accipit. In his omnibus generibus, potissimum autem in duobus ultimis cerebrum sanguine orbatum, raro in primo hyperaemia reperta est. Quod denique sedem attinet, sclerosis aut in totum cerebrum aut in partes nonnullas ingruit: universalis autem sclerosis tantum primi stadii est, partialis aliorum atque chronicum decursum habet.

Item Frerichs cum sclerosin cerebri partialem observasset, causas exposuit, quibus de origine morbi ab inflammatione ducenda non debeat cogitari: ex his causis diutinum decursum et integras meninges, quas in sua observatione invenerat, gravissimas esse contendit. Denique discriminibus induratae massae quibus a tuberculosa atque carcinomatosa infiltratione differat descriptis arbitratur, paullatim in partes cerebri diversas humorem plus minusve fibrinosum abscedere.

Attamen huic sententiae infestus haud multis annis post Hirsch junior, medicus Neuwiedii celeberrimus diligentissima atque circumspectissima descriptione putavit sclerosin cerebri

partialem e chronica inflammatione calvariae et quae illis continentur exoriri atque in suo exemplo contusionem qua aegrotus ille juvenis erat affectus, causam morbus designat. Atque profecto si ad hypertrophiam cranii, ad ossificationem falcis cerebri, ad vetera ut ita dicam congelata exsudata respicimus, dubitari non posse videatur quin in hoc quidem casu inflammatio fuerit. Huc accedit quod ex illo tempore aegrotus vehementibus capitis doloribus atque fere assiduis in contusionis regione pressus est. Neque vero Hirsch solus observatione sua id probabile esse demonstrat, sed affert etiam sententias aliorum quorum Abercrombie eadem judicia memoriae prodidit et Hutchinson in multis laesionibus, quarum aegri fortasse non meminerint non dubitat plerorumque morborum capitis causas ponere. Itaque etiam Valentiner, qui de hac re summe meritus est vim naturamque huius cerebri scleroseos non utique inflammatione carere concedit; sed ubi signa inflammationis frustra quaeruntur, primam hujus morbi causam hyperaemiam cerebri significare tamen sine specie veri videtur. Quo factum est ut partialem cerebri atque medullae spinalis atrophiam in gravissimo momento ponat atque posteriorum studio commendet, ut e partibus cerebri pathologice mutatis microscopio observent, quomodo morbus exoriatur, decurrat, denique perfecta sclerosis partialis evadat. Ejus autem sententiae fortasse non immemor Virchow h. s. anno LVIII nonnullis exemplis allatis malum in luxuriante neuroglia posuit. Unde vero illa luxuries effecta sit, id hac recentiore ratione non explicatur.

Repertum anatomicum.

Inquisitione anatomica in iis casibus, quos per se apparet in hoc genere ponendos esse, ita non pathologicum quidquam invenitur quo certa continuatio seriesque rerum possit cogitari, ut potius sola in cerebri permutatione prima mortis causa collocanda sit. Etenim cum in aliis partibus humani corporis affectiones deprehendantur quae aut cerebri e morbo existunt aut sponte accedunt, his non raro dissolutio corporis efficitur.

Ex his affectibus perniciosis praecipue pneumonia, bronchi-

tis, pleuritis, pericarditis dysenteria vulgo ingruentes nominanda sunt. Sedes autem morbi specialis reperitur aut in cerebro, aut in medulla oblongata aut in medulla spinali aut in omnibus iis partibus simul affectis. Cerebri autem etsi nulla pars morbi omnino expers est, tamen substantia alba sive natura, sive fortasse majore vasorum multitudine magis ad hoc malum disposita videtur esse. Bis tantum cana substantia affecta esse dicitur, ut in sectione extrinsecus plerumque nihil conspici queat. In iis casibus vero, qui optime perspecti sunt, sclerosis in speciem corpusculorum ovalium plerumque, regulariter circum scriptorum, mox laciniosorum conformatur, quae pallido, subcano colore cartilaginis hyalinae fere simili et sanguinis defectu facile noscuntur. Hac igitur particula ceu insulae prominent pisi primum, deinde avellanae aequantes magnitudinem, duritiem corii, lentae, non fragiles, quae pressione rumpi non queant, difficilia ruptura aut sectione. Incisura mox aequalem lem faciem ostendit mox fuscis aut splendidis locis varie distinctam. Substantia nervorum plerumque omnino periit, substantia circumjacens certis lineis disjungitur: interdum nonnulla corpuscula molliora etiam quam vicini loci videntur et ubi inciduntur, in superficie depressa humorem serosum ostendunt: hoc prius verae scleroseos Rokitansky esse putat stadium. Sed dolendum est quod ex casibus commemoratis non amplius septem microscopice observati sunt. Repertum autem fere hoc: In substantia indurata lacteo colore insigni multa massa invenitur partim granosa, partim informis, partim subtilibus fibris diffusa, per quam plurimi nuclei dispersi sunt. Elementa nervorum detegi vix possunt; guttulae pinguescentes disseminatae pertinent fortasse ad vasa olim perdita ac deleta. Quae massa adhibito acido acetico fibrarum compages, tenacitate remissa turgescit in substantiam pinguescentem quasi hyalinam, in qua multi nuclei et nucleoli conspiuntur. Sub fines quibus sclerosis circumscribitur, fragmenta texturarum magis etiam coacervantur, ibique desinunt in speciem fibrarum cuneatim distentarum. Saepius etiam atrophia nervorum periphericorum, quorum extremitates principales in cerebro perierunt, observata est.

Symptomatologia.

Morbum perspicuum et perfectum non raro symptomata praecedunt, quae post mortem aegrorum non injuria principia affecti cerebri fuisse conjiciuntur. Sed quum haec signa cum omnibus cerebri functionibus diversissimo modo conjuncta sint difficillime medicus dignoscit, utrum cum leviore an graviore morbo rem habeat. Attamen mobilitas potissimum idque saepissime plus minus impedita est. Raro tantum symptomata irritabilitatis torporem antecedunt, saepius dolores excentrici et apud infantes convulsiones animadvertuntur. In quibus exemplis plerumque morbus initio valde exiguos progressus facit; tum vero aegroti breve tempus melius se habent, nunquam tamen nisi subito collapsu valetudine non ingravescente mors adducta est. Universus morbi decursus semper chronicus est; in dimidia parte casuum, de quibus expositum est litteris, si infantes excipimus, vix minus tribus annis perfectus, in quinta paene parte aliis morbis accedentibus mortalis exitus accelleratur. In ceteris exemplis diutius decem annis productus est, semel omnino non mortifer videtur fuisse. Quod autem ad singula symptomata attinet, affectus animae semper fere in iis casibus apparent, ubi majorem cerebri partem morbus invasit. In his etiam constanter signa irritabilitatis animadvertuntur faciliora, quae deminutio judicii, lentitudo conspicua, stupor plus minus suspectus sequuntur: Contrarium exemplum Van Camp solus affert, qui in puero de quo mentionem facit praematuram animi conformationem enarrat.

Sensuum magis praestantium Cruveilhier semel oculorum aciem deficientem, Pool et Kniessling strabismum oculi alterius, Van Camp sonitum aurium, tarditatem Landgraf, Melicher amissum odoratum referunt. Sentiendi ratio in dimidia parte casuum deminuta, quater dolores excentrici ut qui saepius sclerosin praenuntient, bis anaesthesia dolorosa descripta sunt; horum ultimorum in altero exemplo in parte affecta prorsus deletus erat sensus. Deminutio mobilitatis objective constanter observata, subjective jam prius indicia cognoscuntur. Animadvertunt enim aegroti extremitates difficilius in dies moveri,

sentiunt formicationem, quam sensim et paulatim torpor sequitur. Saepius remissio aegrorum spem reconvalescendi excitat: sed re vera concitatur in pejus progressus. In aliis casibus malum continuo proficit: semper fere altero pede aut manu debilitato languor paullatim omnes extremitates tum etiam ceteros motus et arbitrarios et fortuitos occupat. Identidem torpor inferiorum extremitatum superiorum debilitatem antecedit. In his lingua non raro paene immobilis, vox raucior, deglutitio una cum respiratione fit molestior et interdum aegri aut inedia aut suffocatione e vita discedunt. Sphincteres recti et vesicae languescunt septies; pulsus arteriarum, cum nulla certa causa inveniri possit, tenuiores, celeriores quater commemorantur. Saepius tremor et convulsio omnium partium corporis sola affecti cerebri indicia sunt et ita quidem ut Landgraf ea cum ictibus electricis comparet; identidem haec torporem universalem praenunciant.

Quo facto nervi ad corpus alendum instituti, qui insignem ceterum plenitudinem efficiunt, in partibus morbo affectis minus maciem et habitum hydropicum adducunt quam formidulosum decubitum affectarum extremitatum. Quam irritabilis vero valetudo corporis ceterum laeta et florida sit, quam non intactus morbo etiam in (optima) maxima obesitate totus organismus, id non alia re evidentius fit, quam quod aegroti nulli rei perniciosae expositi in quinque casibus morbis epidemicis correpti sunt, quibus, si non mors adducta, tamen letalis exitus acceleratus est.

Aetiologia morbi.

Quamquam apparet nequire nos ex his qui adhuc observati sunt casibus, aut dignoscere quae sit propria natura scleroseos, e qua eius originem et decursum intelligamus, aut de proprio initio morbi certa indicia colligere: tamen, quod concedere cogimur, causas morbi plerumque non inventas esse, id in aliis morbis haud minus usu venit. Itaque liceat ad eas praecipue res animos advertere, de quibus tamquam causis morbi omnino mentio fit.

Omnium rerum maxime incusatus est casus perfrigescendi: quod nec Melicher nec Valentiner dubitant facere et Cru-

veilhier in tertio exemplo in secretionem cutis subito oppressam, in quinto in humidum domicilium culpam confert.

Tum potissimum contusiones commemorantur. De quibus, quoniam supra jam diximus, id tantum videtur dignum dictu, quod, quamvis in uno exemplo multis annis post laesionem praeteritis momentum non probabile sit, tamen rebus saepe eodem modo observatis non est pro nihilo aestimandum. In indice quidem quatuor auctores praecipue laesiones enarrant.

Non minoris momenti in parvo observationum numero judicandum quod morbus saepius in singulis familiis inventus est. Sic Valentiner refert ex eadem familia, e qua Frerichs exemplum perscripserat, alterum quoque infantem iisdem signis morbi affectum eodem modo periisse [id quod sectione cognitum et probatum est], et Landgraf similem observationem memoriae prodit. Neque vero mihi omittendum videtur quod in priore casu etiam cineracea substantia morbo affecta, atque in altero cerebrum fere totum solidatum repertum est.

His identidem allatis causis aliae singulae a singulis memorantur: veluti van Camp terrorem, Duplay immensam coitus libidinem, Frerichs dentitionem proferunt.

At in minimo observationum numero ac potissimum in summa morbi ignoratione non satis urgeri potest res perniciosas parum ac difficillime tantum cognosci.

Majoris pretii fortasse habetur, quod eorum quos hic morbus oppressit, duo tantum quinquagesimum annum egressi sunt: ceteri aut infantiam aut mediam aetatem degerunt. Sexus autem neuter magis ad sclerosin videtur inclinare: indicis quidem dimidia pars virorum, dimidia mulierum est.

Diagnosis.

Si respicimus ad ea quae de natura, symptomatologia, aetiologia morbi praemissa sunt, haud dubium est, quin sclerosin cerebri cognoscere, initio praesertim, medico vix possibile videatur esse. Hoc, opinor, intelliget quincunque historiae morbi non immemor est. Diu enim morbus omnino ignotus, deinde, etsi sectionibus a Cruveilhier institutis demonstratus in ultimo

stadio esset, a medicis vel optime observantibus tamen ne in ultimo quidem stadio dignosci potuit; diu cum neque externa affectione neque alio ullo symptomate insigni et perspicuo cognosceretur, morbus nervosus putabatur atque nervinis frictionibus, balneis stimulantibus et roborantibus curabatur. Itaque omnia fere exempla mortuis demum aegrotis e sectionibus perspecta et perscripta sunt. Solus Frerichs qui jam antea decursum et evolutionem morbi in aegroto, non cognita natura mali, viderat, cum iterum in aegrum ejusmodi incideret, summa cum probabilitate, sed omnibus similibus morbis et causis et rationibus negatis, diagnosin recte constituit. Ex hac re gravissima significare momenta operae mihi pretium videtur.

Sclerosis igitur cerebri cum vix minus anno adolescat non facile cum acutis affectionibus veluti apoplexiae generibus, maceratione acuta, hydrocephalo acuto confundi potest. Mala intoxicationibus diversis effecta plerumque causis allatis distincta sunt. In mentem nobis non potest venire nisi macerationis quae sive ex trombis cuneatis seu ex aliis rebus in cerebro existit chronicae, nonnullis locis placide inflammatis et substantia cerebri perdita permutataque in detritas telas. Sed ut omittam hunc morbum qui aut causis manifestis aut nonnisi in senectute observatur, sclerosis certe his rebus praestat quod symptomata debilitatae functionis cerebralis raptim in diversis membris apparent deinde quod in locum sensibilitatis sublatae anaesthesia dolorosa succedit, tum quod inferiorum extremitatum torpor superiorum praeit, denique quod, ubi morbus videtur remittere, ibi prognosis vel certissima mortis est. Hoc in statu rei cum possit fieri, ut et carcinoma et tubercula et aliae cerebri permutationes texturae sive aetatis, sive decursus, sive diuturnitatis causa repellenda sint, tum forsitan de sclerosi cerebri jure potest conjectari. Quae plura de hac re dicenda erint, novissimo hujus mali casu allato in epicrisi referam.

Prognosis et therapia.

Quodsi prognosin spectamus e tradita scleroseos cerebri descriptione et si quis quaerat, num hic morbus possit sanari,

prorsus erit negandum, donec vis et natura ejus a nobis non intelligetur. Neque vero alterum dici potest, hoc malo semper vitam intentari: potius id dubium relinquitur, dum perniciosum momentum sive compressione scleroseos sive commutatione cum morbo totius organismi non omnino demonstratum et comprobatum erit. Attamen ad nonnullos hujus morbi decursus si respicimus, nos fugere non potest scleroseos et magnitudinem et sedem maximi momenti videri, id quod etiam in aliis valetudinis affectionibus plerumque invenitur. Num malum in principio curatum in pristinum statum possit restitui, in diagnosi difficillime primo initio constituenda vix potest affirmari.

Sed vertamus nos ad therapiam adhibendam. In hac re primae rationi, quae plerumque in indicatione causali consistit, maximam partem propter vetustatem morbi satisfieri non potest. Nihil potius restat, quam symptomata curare. Itaque etiam exempla literis tradita paene nil certi praebent. In maxima enim naturae mali ignorantia etiam in eo casu, in quo diagnosis summa cum probabilitate et recte potuit constitui, nulla ratio medendi propria se praebuit: quid igitur in iis exemplis quae medici non solum admirabantur, sed etiam sero curabant? Quo factum est, ut cogerentur dolores tantum mitigare, plerumque morbum nomine nervorum capitalium affectus secundum rationes generales tractantes. Melicher igitur puellam quae morbum perfrictione nacta est, balneis sulfuratis uti jussit, quibus effecit ut dolores arthritidis desinerent. Verum enim vero paulo post torpor primum membrorum inferiorum tum etiam superiorum apparuit, atque Duplay, ut multa alia remedia omittam, opem fonticulorum, setacei, moxarum, ferri candentis frustra adhibuit. Frerichsio demum perfusio frigidae aquae prospere successit, sed eventus aquis marinis perditus est, atque Valentiner strychnino et ferro magno cum commodo usus est. Denique, ut sphincterum vis restitueretur, secale cornutum cum prospero successu adhibitum est. Attamen cum his remediis est cura generalis conjugenda: permultum valet diaeta justa. Aegroti debent uti aëre meliore, puro, non humido, moveri si potest fieri e conclavibus tenebricosis, et crebro rus portari, saepius dimitti in balnea, quibus maltum hordei, hb. aromaticae, ferrum solutum addantur. Cibi pauci, roborantes dentur, secretiones organismi corrigantur et experiantur. Medicamentorum

autem commendatur Jodum, imprimis Kali jodatum et ferrum jodatum. Quamquam vis eorum in morbis, in quibus exsudata fiunt, nemini dubia est, tamen cum cautelis adhibenda sunt quippe cum totus organismus facile iis afficiatur. Alii magni aestimant usum olei jecoris aselli, alii alia remedia. Multam denique curam decubitus prohibendus postulat: aegroti non diutius in eadem corporis parte, ne dum in affecta, debent cubare, vel in ventrem vel supini, atque omnes partes, quae diu cubando comprimuntur diligentissime vino e frumento expresso lavanda sunt. Ubi vero nihilominus decubitus exsistit, praemortuis partibus subsecatis; ut semper fit, summo cum studio curandus est.

Historia morbi.

Mathilde Bils, puella Neustadtii in oppido prope Rhoenos montes sito, e proba familia genita, in qua nullum morbum hereditarium per successiones quasdam tradi mihi quidem interroganti responsum est, usque ad pubertatem exceptis nonnullis morbis, qui puerili aetate bene superati sunt, optima valetudine usa est. Itaque quamquam non omnino firmo corpore erat, omnia tamen membra usque ad imos pedes aequalia et inter se congruentia erant. Anno autem vitae septimo decimo (anno unde sexagesimo h. s.) quo tempore prima menstrua excedere debebant, puella, identidem de infirma valetudine conquesta, paullatim debilitatem in lingua ac recto humero movendis ostendit, neque multum temporis praeteriit, cum paene in illa extremitate torpor animadversus est. Itaque nullis aliis morbi conspicuis notis aegrota Februario mense in Wirceburgense valetudinarium a Julio Maximiliano, clarissimo et liberalissimo archiepisco, aedificatum recepta, novem fere menses ibi peregit. Ejus autem morbi ex historia tenuissima nihil aliud potest concludi, quam illam, si non vera epilepsia, tamen valetudine haud dissimili laboravisse. Curatione vero diligenter ac prudenter adhibita convaluit, ita ut natura mali reputata melius se haberet, facie autem respectata prorsus sanata atque florida dimitteretur. Huc etiam accedebat quod ultimo tempore profluvium genitale aliquoties successit. Deinde vero tribus quatuorve

mensibus post aestate in interiore aedium parte puella usque ad hiemem anni millesimi octingentesimi sexagesimi primi vitio morbi comitialis haud dissimili quasi decies afflictata esse dicitur. Quae res cur et a parentibus cognatisque et ipsa a puella multum per tempus prudentissime celata sit, nulla causa potuit inveniri, ita ut id etiam non plane certum videatur quamquam a familiari medico ibidem enarratur, cum partim rebus domesticis, partim negligentia et ignorantia cognatorum quaestio diligentius instituta paene impedita sit. Itaque haec pauca a Dr. Spegg, doctissimo viro, medico Rothenfelsii, oppidi Franconiae inferioris, publico, qui puellam a prima infantia tractavit, parato animo ad me perscripta sunt. Puella cum Wirceburgio reversa identidem medicum conveniret, excepta agilitate, anxitudine, oblivione eximia, nullum indicium, quo probabilis quidem diagnosis posset constitui, praebuit. Virginis autem, quae ceterum firmam ac floridam speciem ostendebat, multiplices variaeque querelae, quibus corpore inspiciendo, auscultando, percutiendo nullum symptoma potuit afferri, quasi exquisitissima hysteria, perturbata confusione conjiciebantur ita ut, omisso priore morbo nervoso, diagnosis omnibus certis fundamentis momentisque careret. Anhelitu angore etiam aucto et pectoris angustiis vexata insignem valetudinis speciem praestat, quae extra debilitatum acceleratumque arteriae pulsum reliquo corporis habitui videtur repugnare, quo fit ut in dubio qualis sit morbo prognosin medicus ille celeberrimus faustam esse arbitraretur.

His igitur malae valetudinis signis plus minusve variatis, aegrotam, magnis sane spatiis temporis interjectis, omnium convulsionum expertem identidem, animo captam, aut in lectum aut in solum per quadrantem dimidiamve horam prostratam quasi comitiali malo afflictam esse, tutor plane et diserte enarravit. Dum hoc modo mirus morbus paullatim progreditur, puella cum Prid. Calend. Decembr. anni sexagesimi primi h. s. e patria urbe Rothenfelsium se contulisset, medico in via cum maxima festinatione testimonium quoddam tutoris tradidit: gestus, motus incitatiores, voces tremule ejectae cum vultu suspenso incertoque aegrotationem animi incipientem prodere videbantur. His improvisis ac periculosissimis indiciis quamquam diagnosis non potuit statui, tamen medicus non dubitavit puellam extemplo in

nosocomium recipere atque, ut protinus in valetudinarium Wirceburgense transportaretur, paravit. Sed priusquam quaecunque opus erant ad iter, erant allata, subito inferiores extremitates paresi affectae sunt. Nec vero puellae Wirceburgium translatae minima jam hujus longioris enarrationis pars addita, neque in summa animi inopia ejus examen ullam lucem attulit; sed adversus omnia remedia morbus ad pejus conversus quamquam cura maxima cum diligentia servata est: Mox paresis magis magisque progreditur, mox sphincteres vesicae et ani debilitantur atque terribilis in sacro femoribusque decubitus, sensibilitate cutanea perdita, apparet, ita ut non musculi tantum sed etiam ossa detegantur. Quod formidolosum excidium ut demonstraret, Bamberger puellam in clinica medicinia a. d. XII Cal. Februar. adduxit. Examine tum propter summam aurium tarditatem aegrotae, tum propter ingenii mediocritatem ne dicam imbecillitatem de ultimis affectionibus haec pauca constituit. Puella e duobus fere mensibus arthritide se laborare putat: enarrat se saepius violentissimos ictus impetusque in utraque extremitate inferiore sensisse, priusquam paralysis appareret. Quae dum aegra describit, omnes quanta difficultate lingua moveatur facile intelligunt nec paucis in mentem venit comitialis morbi effectus.

Exploratio manualis docet haec: corpus totum nutritione bene se habet, color faciei nativus paululum flavescit, caput et collum vulgaria, oculi acres et acuti, aures tardae, sed facies praebet illam speciem propriam doloris intestini ac vehementissimi; venae jugulares „fremitum virginum“ demonstrant. Extremitates superiores firmae atque validae, pulmones in utraque parte superiore anteriore posteriore inferiore digito percutienti eundem sonum edent; auscultatione strepitus crepitusque catarrhus dignoscitur id quod tenacissima pituita exscreata etiam confirmatur; cordis pulsus amplificatus, organa digestionis intacta, venter inflatus; hepar paululum costarum arcubus prominet, lien justam magnitudinem habet, vesica musculo detrusore debilitato urina expleta est. Inferiores extremitates praesertim in pedibus hydropicae, mobilitate plane privatae, sensibilitatis etiam participes: in utraque coxa, universo sacro, atque regione femorum maxima pars et cutis et musculi usque ad ossa perditi sunt. Sphinctere ani torpido faeces invita aegra exsecernuntur.

Quibus omnibus rebus consideratis cerebrum in levibus signis nullo modo malae valetudinis expers potuit significari: attamen difficillima responsu visa quaestio est, utrum symptomata e priore quod ante duos annos curatum est vitio ducenda, utrum nova insignis affectio cerebri juxta medullam spinalem debilitatam interpretanda, an malum aut causa aut effectus aegrotationis medullae spinalis percipienda sit. Indicia inferioris corporis affectioni medullae spinalis bene respondebant, id quod doloribus, de quibus puella mentionem fecit, et formicatione praecedentibus etiam confirmabatur. Huc accedebat quod intactis extremitatibus superioribus sedes mali non injuria in regione lumbali ponenda erat: velamenta medullae in exigua irritabilitate non vehementer poterant affecta esse, quamquam forsitan inflammationis non omnino exsortes. Verum enim vero torpore inferioris corporis perfecto sola tunicarum adustione negata, decursu subacuto medullam celerius macerari verisimile fuit, cujus etiam formidolosus clunium decubitus firmissimum argumentum praebebat. Catarrhus denique pulmonum cum vario mensis Januarii coelo tussi ingruente, tum potissimum quod piaemia in aegra jam appareret, explicatus est.

Quae cum ita sint prognosis infaustissima constituta est. Itaque valetudine desperata medico nihil reliquum erat nisi ut dolores mitigaret: hac re aegrota quotidie sex doses Chinin. sulfur. gr. ii omnibus dosibus Opii pur. gr. 1/4 addito accepit; partibus robigine affectis ferro mechanice amotis vulnera cataplasmatibus calcar. chloric. ʒi in aqu. fontan. ℔ i solut. tractata sunt. Attamen molestiae doloresque augebantur, diebusque insequentibus piaemia valde progressa, quamquam quotidie Chinin. sulfur. gr. XX dabantur, in pulmonibus abscessum metastaticum posuit, quo facto die XXVIII mensis Januarii virgo vita defuncta est.

Sectio instituta est hora post mortem vicesima. Cadaver non valde emaciatum in regione clunium non solum cutem et fascias sed etiam musculos fere omnes perditos ostendit, ita ut ossa non tantum detecta, sed etiam aspera, eorumque color immutatus sit. Columna spinali scalpro aperta, caverna arachnoideae satis aquae continet; colorem medullae spinalis multae incisiones non mutatum demonstrant. In regione tantum lumbali cineracea substantia ita exalbata est, ut alba pars vix distin-

guatur; candor deminutus est: nonnullis locis posteriores restes medullae luridum adspectum praebent. Cranio subtili dissecto, reperitur dura mater non valde sanguine imbuta; sinus magnam sanguinis ex rubro subnigri copiam multasque pacchionicas granulationes magnas ostendit; parietes leves et non mutatae. Substantia cerebri incisa sanguine valde carens, alba lacteo, cineracea pallido colore est, consistentia maximam partem densior, in anteriore regione sinistri centri semiovalis locus digito quadrato major massa spissior, colore non discrepante, ad concidendum difficilior est. Fines nervorum sic mutatorum diffusissimi paullatim in sanam substantiam transeunt. In altera cerebri parte similis, minoris quamquam extensionis provincia invenitur. Cerebelli incisura sanguine abundans splendidissima est. Ceterae regiones cerebri, cerebelli, medullae oblongatae prorsus intactae medullae spinalis tantum anteriores restes parte in pectorali omnino perditae sunt. Exploratione etiam microscopica adhibita in mutatis cerebri partibus haec inventa: cellae et cellulae pingues sine ordine dispersae majores minoresve acervos construunt: haec elementa jacent in densa nigraque massa, quae in finibus discerptarum partium substantia ejusdem generis et tenuissimis undulata specie fibrillis videtur composita esse. Parietes vasorum, quae sclerosi cerebri partiali paene perdita sunt multum pingue patefaciunt: Sanae nervorum fibrae nusquam animadvertuntur. Cineracea substantia ordinaria non densata, ibique degeneratio finita est. Medullae spinalis restes anteriores plane in pectorali regione perditae sunt, nervorum fibrae corruptae, pingue multis acervis (agglomeratum) aggeratum, grana, globuli medullae atque haud multa corpuscula amylacea oculis perspiciuntur: substantia anteriorum cornuum cineracea intacta est.

Pectore dein aperto pulmones non prorsus collabuntur, neque vero adhaesiones inter pleuras animadvertuntur; in bronchis bronchiolis nubila pituita est. Superiores pulmonum partes valde inflatae, sanguine carentes, inferiores eodem turgent. In sinistro pulmone abscessus magnitudine ovi gallicanei et multiplices grano milii usque ad pisi magnitudinem infiltrationes apparent; cor omnibus partibus justum, hepar paululum tumet ceteraque organa nullius morbi notas demonstrant.

Epicrisis.

Quamquam diagnosis laesae medullae spinalis sectione satis defensa est, tamen reperta sclerosis cerebri partialis digna videtur quae cum praemissis exemplis praesertim decursu symptomatibusque comparetur. Itaque ad longinquitatem hujus morbi respicientes nos fugere non potest in hoc casu, ut fere fit, quamquam initio non certe intellecto per nonnullos annos morbum duravisse sive ab illo momento, quo puella quasi comitiali malo afflictata est, sive quo subito justam linguae mobilitatem amisit, computamus. Quum autem omnia exempla uno septimo casu excepto morbum mortiferum demonstrent, in hac puella, quamquam ingenium paene oppressum erat, nec functionibus organorum qui nutritioni curant nec alio modo erat perniciosus. Etenim num affectio medullae spinalis, quae duobus annis circiter praeteritis subito exstitit, cerebri vitio affecta sit, id haud difficile dijudicatur. Qua de re cum quae litteris tradita sunt perlegissem, nihil aliud in hoc mihi visum est cadere, quam quod L. Türk de nonnullis medullae spinalis restibus corruptis litteris mandavit. E cujus libello haec verba referam:

„Wenn bei Krankheitsheerden im grossen Gehirn oder Rückenmark die Leitung durch gewisse Markstränge lange Zeit unterbleibt, so entwickeln sich im letzteren als Folge ihrer Erlahmung Körnchenzellen in bedeutender Anzahl, wodurch der Anfang einer im spätern Verlaufe noch weiter gedeihenden Metamorphose bezeichnet wird.“

„Die graue Substanz wird nicht von secundärer Körnchenzellenbildung befallen, woraus sich jedoch kein Schluss auf ihre Leitungsfähigkeit ziehen lässt.“

Attamen cum in praeparato hujus scleroseos cerebri partialis praeter exspectationem repertae, quod cultro dissecatum et spiritu vini permaceratum erat, non facile microscopio uti liceret, neque re vera anatomici satis uterentur, temerarium esse puto de harum affectionum connexu verba facere.

Offensione vero medullae spinalis torpor demum extremitatum inferiorum, pertubatione nervorum nutritioni praefectorum ingentem decubitum eodemque mortalem exitum cum adductum

tum praecipitatum esse, id nemo facile negabit. Hic autem etiam in multis exemplis relatis finis est.

Ex universa autem hac consideratione ad singula symptomata reversi statim animadvertimus in hoc casu pariter atque in plerisque ceteris mobilitatem unius membri primam deminutam esse; sed cum in ceteris semper in pede initium fecerit, neque umquam redacta sit ad integritatem, in hoc resolutionem humeri anno fere peracto curatam esse. Maxime autem in parva corruptae partis cerebri provincia animi imbecillitas conspicua est, quae primo anxia depressione tantum significata duobus annis post usque ad perfectam hebetudinem explicata est, id quod alioquin de iis aegrotis enarratur, quorum cerebrum late hoc morbo affectum est. Sensus aurium solus tarditate insignis, sensibilitas ut saepe observatum est, valde deminuta. E reliqua nervorum perturbatione mentione digni videntur pulsus arteriae et tenuis et acceleratus, nervi vagi, difficultas deglutitionis locutionisque nervi hypoglossi et glossopharyngei offensi in hoc exemplo et saepe alias loco probabilium signorum commemorantur.

Quod torporem inferioris corporis attinet, in omnibus ceteris et in hac observatione immobilitas a surditate formicationeque incipiebat; ingens decubitus plerumque grave in summa quasi sanitate atque obesitate signum affertur, atque quinquies etiam narratum est aegros, qui nulli perniciosae tempestati expositi essent, in morbos epidemicos cecidisse.

Quum postremo ad repertum anatomicum veniamus, quamquam magnitudo atque ambitus corruptionis non semper pro symptomatibus videtur fuisse, tamen natura eadem fere cognoscitur. Undique majores minoresve insulae et grana observata sunt, quae fibrillis cerebri maximam partem una cum vasibus perditis in densiore medullae substantia disseminatae sunt. Quomodo vero substantia cerebri sic permutata sit neque ex decursu morbi neque ex reperto anatomico potest concludi.

Restat etiam decursum morbi percurrere et utile mihi visum est id quam diligentissime sententiis, quas Valentiner diagnoseos causa protulit, adhibitis facere.

Primo igitur in hac observatione remissio conspicua dicta est: apparet quaedam irritabilitas, sequitur imbecillitas musculorum humeri et linguae, quae prudente curatione finitur; tum octo decemve impetus malo comitiali haud dissimiles exsistunt,

quorum origo nullo modo potest definiri; diversissimae querelae quasi hystericae interjiciuntur, et postremo puella mente capta repente paralysi inferiorum extremitatum lecto affixa, terribili decubitu perdita est. Attamen difficile est dictu num prima offensio humeri prorsus initium scleroseos fuerit.

Alterum etiam signum, quod Valentiner urget, eas nervorum provincias quae in utraque corporis parte inveniantur fere in altera parte tum etiam in altera affici, in hoc exemplo non cadit, si humeri imbecillitas prima mali nota habetur.

Tertium indicium quo docetur inferiora membra priusquam superiora surditate torporeque offendi eandem ob causam non certe convenit.

Quartum symptoma quod ad perturbationem animi praevalentem, quintum quod ad laesionem nervorum vagi, hypoglossi glossopharyngii, sextum quod ad magnam quasi egregiae valetudinis obesitatem spectant, etiam in hoc casu observata sunt.

Quibus rebus intelligitur in hac puella ceteris morbis notis exclusis certam diagnosin in tam paucis insignibus momentis non potuisse constitui. Neque vero cum pleraque exempla consideremus, nulla alia via quam conjectura assequi sclerosin nobis licebit. Hasse quidem putat peritiorem medicum, qui talem morbum jam decurrentem viderit, similem recte recogniturum et definiturum esse: num vero ex iis quae hodie de illo malo constent magis quam probabilis diagnosis fieri possit ex iis, quae his pagellis continentur certe addubitandum est.

De prognosi constituenda hoc alterum exemplum videtur esse, sclerosin cerebri partialem per se vitae non esse perniciosam.

De therapia denique hoc casu nihil potest disci, cum initia mali non dignota fuerint neque nuncius certus litteris traditus sit, atque postremo non morbus ipse curandus sed tantum dolores mitiganda fuerint.

V I T A.

Gustavus Adolphus Wintzer evangelicae addictus die IX mensis Aprilis anno h. s. XXXIX in oppido Rhenanae provinciae Neuss natus sum, ubi pater Carolus Gustavus, matri Augustae e gente Cleinowia matrimonio junctus aedificia ac vias publicas illo anno curavit. Ille tum in nulla urbe longum per tempus versatus est. Qua re duobus annis post in Brandenburgiensi provincia in urbe Nauen viis stratis praefectus est. Primis ibi elementis imbutus, urbis Postampii gymnasium cui tum praeerat Dir. Dr. Rigler frequentavi. Sed jam anno peracto cum patre, cui munus architectonicum Lusatiae inferioris in oppido Cottbus traditum erat, me eo quoque contuli et ab Reuschero, Dr. Dir., viro praeclaro, discipulis quinti ordinis gymnasii annumeratus, per ultimos tres annos gymnasio Dr. Tzschirnero, Directore usus sum atque, cum ex omnibus disciplinis iis, quae in mundi leges atque in corporum naturam inquirunt, maxima data opera, ad studium medicinium permotus essem, testimonium maturitatis nactus sum. Tum mense Octobri anni h. s. LVIII patris rogatu in academiam regiam medico-chirurgicam receptus Berolinum me contuli et die XVIII mensis ejusdem a Rectore Magnifico Ill. Dowe civium academicorum Fridericianae Guilelmae universitatis numero adscriptus sum. Hic primo semestri disserentes audivi:

Ill. Dowe de physica; Ill. Werder psychologia; Ill. Mitscherlich de chemia universali; Ill. Reichert de anatomia corporis humani universa; Ill. Schultz-Schultzenstein de encyclopaedia et methodologia medicinae artis; Doctiss. Lieberkuehn de osteologia. Sed cum detrimentum quod frequentatis-

sima collegia afferant cognovissem, relicto stipendio, paschali hanc almam litterarum universitatem Fridericianam petii et die III mensis Maji anno MDCCCLIX a Ill. Witte tunc tempore fascias academicas tenente in numerum civium academicorum receptus atque apud Volkmann medicorum ordinis gratiosi Decanum spectatissimum nomen professus sum. Scholis interfui per quatuor semestria in hisce: Philosophicis: Ill. de Schlechtendal de botanice; Ill. Giebel de anatomia comparata; Ill. Girard de mineralogia, de exercitationibus oryctognosticis; Ill. Knoblauch de physice; Ill. Burmeister de zoologia generali; Ill. Erdmann de logice; Cel. Cornelius de meteorologia. Medicis: Ill. Volkmann de physiologia experimentali, de physiologia sensuum; Ill. Welker de anatomia microscopica, de generatione et historia evolutionis; Ill. Krahmer de pharmacologia; Ill. Blasius de chirurgia universa, de ossibus fractis et luxatis, de chirurgorum auxiliis mechanicis; Ill. Vogel de pathologia et therapia speciali; Ill. Hohl de theoria artis obstetriciae; Cel. Mann de pathologia et therapia generali; Cel. Volkmann de anatomia pathologica; Cel. Graefe de ophthalmologia. Exercitationibus practicis me instituerunt Ill. Volkmann et Ill. Welker arte cadavera rite dissecandi. Tempore dein paschali propter malam valetudinem Halis relictis in Wirceburgensem universitatem litterariam profectus a Rectore Magnifico Ill. Albrecht inter cives academicos, a Ill. Rinecker gratiosi medicorm ordinis Decano, maxime venerabili, in facultatem medicinam receptus sum. Per duo semestria hasce frequentavi lectiones: Ill. Bamberger de pathologia et therapia speciali; Ill. Linhardt de akiurgia; Ill. Foerster de microscopio utendo; Ill. Cel. Geigel de auscultatione et percussione; Ill. Cel. de Troeltsch de aurium morbis. Scholis interfui clinicis medicis apud Ill. Bamberger, chirurgico-ophthalmiatricis apud Ill. Linhardt, obstretricis apud Ill. de Scanzoni, tum poli-, tum de infantium clinicis scholis apud Ill. Rinecker, psychiatricis apud Ill. de Marcus. Anno post Halas reversus a Ill. Jacobi, Rectore universitatis litterariae Fridericianae Magnifico iterum civis academicus factus et apud Blasius Decanum maxime spectabilem nomen professus sum. Per hoc semestre hisce interfui scholis: medicis et policlinicis apud Weber, chirurgico-ophthalmiatricis apud Blasius, obstetriciis apud Cel. Olshausen.

Quibus omnibus viris optime de me meritis maximas habeo semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus cum philosophico tum medico examineque rigoroso rite superatis, spero fore ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Pertusis non alio modo quam symptomatice medenda.

II.

Nullum graviditatis signum gravius quam pulsus cordis foetalis.

III.

Tracheotomia secundum Malgaigne est rejicienda.

IV.

Placentae solutio et expulsio post partum non semper naturae relinquenda.

V.

Prognosis chronici catarrhi cavitatis tympani maximam partem infausta est.